

dicto huic & sensui ejus inharere ac ex Historia sacra-
facem, quod ajunt, præferre. Ut vero recte non minus,
quam concinne hic procedatur, tribus ita rem expedire
placet capitibus, quo prius modo genuinum Apostoli sen-
sum, alterum vero eventum ex historia, temporum teste,
declaret, tertium denique usum dicti theologicum per po-
rismata quædam exhibeat. Faxit Numen, quod demis-
sissime rogo, Supremum, ut divina mihi gratia adspirante
feliciter cedat opella, & mihi æque ac toti cœtui sacro uti-
lis fiat ac proficua!

CAPVT I.

§. I.



Nexus igitur, cujus veram analysin sensumque
genuinum Spiritus S. auxilio tradere debet ca-
put hoc primum in Epist. II. ad Timotheum
c. III. v. 6. ita profertur:

Ἐκ τῶν γὰρ εἰσὶν οἱ ἐκιδύοντες εἰς τὰς οἰκίας, καὶ ἀχμα-
λωτεύοντες τὰ γυναικάρια σεσωσμένα ἀμαρτίας, ἀγόμε-
να Ἰπιδυμίας ποικίλης.

Quæ Latina Versio N. T. Glossa compendiarie *Matthie Flacii*
aucta sequentem in modum expressit:

Ex his sunt, qui subeunt in familias, & captivas du-
cunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur
concupiscentiis variis.

Megalander noster LUTHERVS in aurea sua translatione di-
stinctis hisce verbis descripsit:

Aus denselbigen sind / die hin und her in die Häuser
schleichen / und führen die Weiblein gefangen / die
mit Sünden beladen sind und mit mancherley
Lüsten fahren. §. II.